

VENANCE FORTUNAT

IN LAUDEM SANCTAE MARIAE (360 vers)

v.1 Lingua prophetarum cecinit de virgine partum :
 2 nuntia fert terris angelus ista poli.
 3 Consona vox hominum memorat hoc ferre pueram,
 4 quod daret absque viro germine virgo virum.
 5 Hoc euangelio concordans pandit Esaias
 6 quae Deus inspirat, haec canit ipse tuba
 7 eloquio torrens et rite profunda locutus,
 8 Emmanuhel nostrum virgine dante canens,
 9 praedicens olim ut de matre Tonantis honore
 10 radicis florem Jesse virga daret.
 11 Virgo haec virga fuit de qua est flos Christus obortus,
 12 cujus odor vivax membra sepulta levat,
 13 laxus morte jacens de cujus aromate tactus
 14 postque diem quartam Lazarus ore reflat.
 15 Hanc Hieremias olim utero ipso sanctificatus
 16 monstrans voce pari sic quoque vatis ait :
 17 "Ecce dies venient et David suscito german
 18 et regnabit rex atque erit hic sapiens. "
 19 Hoc german justum virgo est et rex suus infans
 20 judicium faciens arbiter, orbis erus.
 21 Psalmographi plectro cantata est ista virago,
 22 cum daret arte melos vox lyra corda chorus :
 23 "Mater Sion dicit : homo et homo factus in illa. "
 24 Ipse hanc fundavit, factus in ipsa homo hic.
 25 Sic quoque : " Qui fundavit eam est altissimus ipse. "
 26 Haec Sion mater virgo Maria fuit.
 27 Qua tanquam sponsus thalamo procedit ab alvo
 28 exsultatque gigans Christus eundo viam.
 29 O uteri thalamus, nova junctio facta salutis,
 30 qua Deus atque caro nupsit honore novo !
 31 Quod Deus amplexus carnem est, caro juncta cohaesit ;
 32 stat Deus et homo fit Christus, utrumque genus.
 33 Non Deus in carnem est versus : Deus accipit artus,
 34 non se permutans, sed sibi membra levans,
 35 cuius non poterat Deitas per aperta videri,
 36 velamen sumpsit carne videndus homo,
 37 unus in ambabus naturis, verus in ipsis,
 38 aequalis matri hinc, par deitate patri,
 39 non sua confundens, sibi nostra sed omnia nectens,
 40 quem sine peccato gignit origo virum,
 41 de patre natus habens divina humanaque matris,
 42 de patre sublimis, de genetricie humilis.
 43 Quando incorporeus pie corporis induit artus,
 44 aequalis matri, fit minor inde patri.
 45 Carnem animam ossa cutem nervos venas femur unguis,
 46 formam servi adiens est minor inde patris.

47 Sed redeo qua virgo trahit mihi laude canenda,
 48 qualis nulla fuit, nulla futura venit.
 49 "Quemque pluunt nubes justum de rore superno ;
 50 haec salvatorem germine terra dedit."
 51 "Haec porta est clausa in quam intrat vir nemo nec exit,
 52 ni Dominus solus, cui quoque clausa patent. "
 53 Cujus in adventu exiluit de ventre Johannes,
 54 infans nec natus munere praeco novus,
 55 trans uterum matris quasi per specularia cernens,
 56 materna et puero membra fenestra fuit.
 57 Quando exultavit ventrem de ventre salutans,
 58 dum pede non potuit, motibus ivit iter.
 59 Credo et prostratus jacuit palmasque tetendit,
 60 ante Redemptorem parvula membra movens,
 61 corrigiamque pedum est cujus non solvere dignus,
 62 pronus adoravit, credo, tremente geno.
 63 Nobilis Elisabeth, de qua canit alta prophetans,
 64 haec operante Deo germine laeta refert :
 65 "O benedicta inter mulieres, unde mihi hoc
 66 me ut mater Domini visitet alma mei ? "
 67 Hanc Gabrihel vocitat benedictam laude pueram
 68 et merito extollit quae nova dona gerit,
 69 quae genitura foret benedictum germine fructum,
 70 quem Hieremias voce tonante refert.
 71 "Hic Deus est noster, non absque illo alter habetur ;
 72 post haec in terris visus homo est habitus."
 73 Quem Danihel sanctum sanctorum praedicat unum,
 74 de monte excisus qui angulus et lapis est.
 75 De quo Moyses ait : " Deus excitat ecce prophetam
 76 vobis ex vestris fratribus, orbis opem.
 77 Si qua anima hunc non audierit, qui exterminat illum
 78 de populo vindex ipse propheta suo. "
 79 David dixit : " Adorabunt hunc munere reges,
 80 servibunt gentes et Saba dona dabit."
 81 Accipiens Simeon manibus quem justus utrisque
 82 decrepitus senio haec pia verba dedit :
 83 "Nunc dimitte in pace tuum servum, auctor ab alto,
 84 viderunt oculi jam quia vota mei,
 85 quando salutare hoc merui, tua verba secundum,
 86 ferre manu et visu cernere jure Deum. "
 87 O sacra virgo Dei talem generando Maria,
 88 per quem lumen habet plebs tenebrosa prius !
 89 In regione umbrae mortis lux orta refulsit,
 90 admirabilis est consiliarius hic,
 91 qui Deus est fortis, Pater atque in saecula princeps
 92 cujusque imperii pax sine fine manet.
 93 Rorarunt caeli nubes justumque pluerunt,
 94 quem Salvatorem germine virgo dedit,
 95 Aegypti, labor Aethiopum Sabaimque sublimes
 96 ad quem transibunt mente sequendo Deum ;
 97 est in quo tantum Deus et non est Deus absque hoc,
 98 hic Deus absconsus, qui Deus Israhel est ;
 99 cujus justitia est limborum cingulum et idem
 100 ejus renis adest cinctorumque fides ;
 101 reguli et aspidis ausa manus penetrare foramen,
 102 ablactatus agens nec nocet ullus ei ;
 103 adstans in signum populorum, ejusque sepulchrum
 104 nobile adorandum gloria quanta tegit !

105 Quem dominatorem terrae misit Moabitis,
 106 petra ex deserti qui pius agnus adest.
 107 De quo Zacharias : "Exsulta, filia Sion,
 108 justus, salvator, rex tuus ecce venit
 109 ascendens asinam super aut asinae quoque pullum,
 110 quadrigas perdens ex Efrain et equum. "
 111 Unde et Micheas : " Et tu, inquit, Bethleem Efrata,
 112 parvulus in Juda milibus ipse manes :
 113 egredietur, qui dominator in Israhel, ex te,
 114 egressusque potens ejus ab initio."
 115 Lumen sanctorum in splendoribus, ex utero quem
 116 ante Luciferum progenuitque pater.
 117 Livores nostros sanans livore beato
 118 et veteres maculas sanguinis amne lavat.
 119 O virgo insignis nobisque medella monades
 120 quam Deus implevit totius orbis ope,
 121 quaeque Creatorem meruisti ventre tenere
 122 et generare diem concipiente fide,
 123 mundatura novo partu de crimine mundum
 124 atque sacro fetu progenitura deum !
 125 Humano generi genuit quos Eva dolores
 126 curavit genitus, virgo Maria, tuus.
 127 Peccati jaculo defixa in stirpe cicatrix
 128 ulcera nulla gerit nec sua signa patent.
 129 Sucus amarus enim vetiti de cortice ligni
 130 stante Redemptoris de cruce dulce sapit.
 131 Sub pomis specie mors tunc de fronde pependit ;
 132 nunc tuus est uterus hinc cibus atque salus.
 133 Fructu sancta pio renovasti tempora rerum
 134 lucidiorque dies te generante nitet.
 135 Post tenebras solem revocat tuus alvus in orbem,
 136 cum Domini jubaris inradiavit apex.
 137 In te habitans mundi lumen statione corusca
 138 floruit interius per tua membra Deus,
 139 tam vivax fulgor penetrans et ad ima profundi
 140 orbem alit, astra regit, Tartara luce replet.
 141 Cujus mundi uno est haec machina tecta pugillo
 142 clauditur in fibris, casta puella, tuis,
 143 subportans fabricata fabrum et humana Tonantem,
 144 virgula radicem, facta Creantis opem.
 145 Qualiter illa novum tenuerunt viscera lumen,
 146 quod decus intus erat, quis honor inde foras !
 147 Gaudia quanta sinus hilaris tuus ille vehebat,
 148 cum tua membra premens plus relevabat onus !
 149 Tum genetrix de fasce levis, de prole salubris
 150 rem splendoris habens - lux neque pondus erat -,
 151 auxilium de flore gerens, de fruge levamen,
 152 spem et caeli panem spica novella ferens,
 153 cuius stella erat et sol matutinus in alvo,
 154 infra arcum abscondens fulgida luna jubar,
 155 anniculum portans agnum antiquumque gigantem
 156 deque tribu Juda qui leo fortis erat,
 157 cornua producens vitulus ceu rinocherotis,
 158 arduus, elatis naribus alta fremens,
 159 regulus atque aspis cedunt cui, cuncta venena,
 160 vipera seu dipsas, seps draco cenchris hydra,
 161 Parvulus ipse puer, persona vetusta dierum,
 162 egressus cuius stat sine principio,

163 cujus diffusa in labiis est gratia florens,
 164 speciosus forma piae genitis hominum,
 165 cujusque est oriens ex alto nomen honoris,
 166 qui nos lumen agens visitat in tenebris,
 167 qui venit de Edom, de Bosra veste cruenta,
 168 pulcher, sanguineus, candidus atque rubrus,
 169 calcaturus erat qui solus torcular altum,
 170 in cruce pensandus, membra cruore levans.
 171 Unde sibi micuit stola candida, tincta rubore,
 172 quem ante et vel post quem non Deus ullus erit,
 173 cujus transcendit sacra magnificentia caelos,
 174 cuncta tegens palma, sidera rura freta ?
 175 Quis te tunc sensus, Domini pia mater, habebat,
 176 cum tibi talis erat fetus honore novus ?
 177 Praemia quanta uterum implebant et gaudia pectus,
 178 caelorum artificem cum tua ferret humus ?
 179 O meritis radians dic, virgo, putasne videbas
 180 angelicos cursus ire, redire novos,
 181 militiam caeli cum te servare vicissim
 182 sentires animo, saepe levata manu ?
 183 Quae circa te acies, vel quando iter ire parares,
 184 milia per gressus concomitando tuos ?
 185 Quid Michahel faceret ductor sub principe celso ?
 186 Quid gereret Gabrihel, nuntius ille sacer ?
 187 Qualiter aut Raphael occursum impenderet almae,
 188 te portante Deum dum putat esse thronum ?
 189 Credo alter cuperet plantis substernere plumas,
 190 ille excussa ala subnitidare viam ;
 191 duceret iste auras, ne te gravis ureret aestas,
 192 ille levans pinnas, vertat ut imber aquas,
 193 iste ad frena manum retinens, ne sarcina lapset
 194 neu pes offendat, pendula turba volat.
 195 Quot vigiles turmae, cum te et sopor altus haberet
 196 solaque dormitans tot vigilare dares ?
 197 Sidereo obsequio meritis dignissima virgo,
 198 cum te divinis cingeret ala choris,
 199 cujus honore sacro sol ipse tremisceret ortum,
 200 lunaque sub pedibus quaereret esse tuis
 201 artificique suo se machina subderet orbis
 202 ac miraretur per tua membra Deum.
 203 O virgo excellens, vincens super omnia matres,
 204 quam genus erexit, cui Deus alta dedit,
 205 cujus fructus adest et flos non perdit honoris,
 206 quae nato es genetrix et tibi virgo manes !
 207 Felix quae generi humano sub Tartara lapso
 208 ad caelos facta es sors via porta rota,
 209 aula Dei, ornatus paradysi, gloria regni,
 210 hospitium vitae, pons penetrando polos,
 211 arca nitens et teca potens gladii bis acuti,
 212 ara Dei adsurgens, luminis alta pharos,
 213 celsa super cedros et vasta cacumina montis,
 214 subque tuis plantis et rota solis adest.
 215 Virgineo coetu dux sexu prima secundo,
 216 praelata astrigeris sola puella choris,
 217 figmentum figuli, super omnia vasa decorum
 218 atque creaturae fulgida massa novae,
 219 candelabrum pulchrum, verbi capiendo lucernam !
 220 Quam formam scalpsit tam super astra faber,

221 ornans Hierusalem sanctam, speciosa venustas,
 222 a facie templi vas in honore Dei,
 223 exuperans portas Sion splendore corusco,
 224 stans merito fidei gemma superba throni ;
 225 ore diem jaculans, radios a fronte sagittans,
 226 luminibus rutilis lumen honore rotans,
 227 sidereum speculum, inlustris domus Omnipotentis ;
 228 vultibus ex illis fulgura clara ferens,
 229 nomen honoratum, benedicta Maria per aevum,
 230 ad laudem artificis nobilis artis opus,
 231 dulcis et angelico pretiosa puella relatu,
 232 omnes ultra homines dona decoris habens,
 233 inde rubore rosas, candore hinc lilia vincens,
 234 flos novus ex terra, quod polus arce colat,
 235 crystallum electrum aurum ostrum concha alba zmaragdus :
 236 quo tua forma nitet, cuncta metalla jacent ;
 237 nix premitur candore tuo, sol crinis honore,
 238 pallescunt radii, virgo, decore tui,
 239 lychnites hebes est, cedit tibi Lucifer ardens,
 240 omnibus officiis lampade major ades,
 241 occulti in terris sacramenti conscientia summi,
 242 et secreta poli sunt patefacta tibi.
 243 Dignus ager Domini, generans sine semine frugem,
 244 et nec arata seges messe repleta places,
 245 sola sine exemplo fecunda et libera nexu,
 246 ignara amplexu mater opima sinu,
 247 virgo intacta manens, fidei ubertate marita,
 248 inscia conjugio, feta negante viro.
 249 Accipis et nescis : sic reddis ut integra constes ;
 250 nec violata paris nec pariendo doles.
 251 Et tamen est genitus Deus et Homo, verus et unus,
 252 spiritus atque caro Christus, utrumque genus,
 253 in deitate patri aequalis vel corpore matri,
 254 sed sine peccato de genetrici caro,
 255 factor dans legem, factus sub lege minister,
 256 ipse pater mundi, filius ipse tibi.
 257 Unde tuum, mater, generas natum atque parentem :
 258 hinc prolem, inde patrem ; hoc Deus, illud humus.
 259 Cujus honore sacro genetrix transcendis Olympum
 260 et super astrigeros erigis ora polos.
 261 Conderis in solio felix regina superno,
 262 cingeris et niveis lactea virgo choris,
 263 nobile nobilior circumsistente senatu,
 264 consulibus celsis celsior ipsa sedens,
 265 sic juxta genitum regem regina perennem,
 266 ornata ex partu, mater opima, tuo.
 267 Occurrunt proceres et gloria magna Johannis,
 268 noscens ante Deum quam pareretur homo ;
 269 fratribus adscitis Paulo reliquisque beatis
 270 ductor apostolicus, fulgida palma Petrus.
 271 Diligit has portas Sion super omnia Jacob,
 272 pro patribus genitos quos in amore Deus,
 273 qui omnes ore sui ornati super astra coruscant :
 274 si sic discipuli, quid pia mater eri ?
 275 Hinc patriarcharum numero sociante prophetae
 276 conveniunt celso munera ferre throno ;
 277 martyrii hinc inde cohors redimita coronis,
 278 principe cum Stefano civica turba poli,

279 primitiae florum, Bethlemitica passio lactans,
 280 quae meruit nascens vivere morte magis,
 281 Italiae mundique caput quos Roma retentat,
 282 urbs vel Alexandri aut Anthiocenus ager,
 283 quos Hierosolimis aut quos Byzantion oris,
 284 quos Patras Ephesus Naddaver arce tenet,
 285 quos Oriens, Occasus habet, quos Africa et Arctos
 286 quosque sepultat humus, cingit et Oceanus.
 287 Natio gens populus regiones agmina reges
 288 undique currentes ad nova dona patris,
 289 Aethiopes, Thraces, Arabes, Daca, Indus, Alanus,
 290 Aurora et Vesper, Persa, Britannus adest,
 291 intrantes in regna Dei pietate redempti,
 292 gaudia visuri regis in arce poli,
 293 quos recipit sacra porta Petri, quos janua Pauli ;
 294 postis ad Andreeae limen Achaia petit.
 295 Mattheus Aethiopes, Ephesenos valva Johannis,
 296 et quem quisquis amat hunc sua porta rogat.
 297 Horum ante adventum te qualiter ornat amator,
 298 portavit quem uterus, virgo beata, tuus,
 299 dans tibi larga poli cui tu domus arta fuisti,
 300 ventris pro hospitio restituendo thronum,
 301 componendo caput niveum diademate fulvo,
 302 et gemmis rutilam comet honore comam,
 303 adnectens niveo pretiosa monilia collo,
 304 fulguribus variis pectora pura tegens.
 305 Quam speciosum humeris inponit honoris amictum !
 306 Splendore ardescens purpura tincta nitet.
 307 O quotiens coctum zonae micat aura per aurum,
 308 pallida nec pallae est fimbria luce nitens !
 309 Quis tibi digna canat, quantum decus exeat ore
 310 aut de veste tui gemma virore micet,
 311 quando strata jacet pedibus pretiosa zmaragdus,
 312 quando pavimentis alba topazus inest,
 313 quodque oculus non vidit agens, non audiit auris,
 314 ornamenta tibi haec, pia virgo, nitent ?
 315 Cum regio ergo poli totusque exercitus astri
 316 te ornatam inspiciet, laudibus ora movet.
 317 Incipiens Michael paeconia ferre beatae,
 318 cumque suis turmis haec tibi, virgo, refert :
 319 "O decus excellens, o femina forma salutis,
 320 partus fruge potens, virginitate placens,
 321 per quam est se nasci dignata redemptio mundi
 322 et reparare genus quod tulit Eva ferox,
 323 hanc tibi, mater, opem legionum milia mille
 324 per classes resonant carmine, voce, lyra. "
 325 Angelus inde tuos repetit paronymphus honores,
 326 qui tibi de caelis nuntia sancta vehit,
 327 dicens : " O felix, imitari nescia virgo,
 328 cujus et agnus ovis conterit ora lupi,
 329 Tartara disrumpens, patriae captiva reducens
 330 et libertati post juga pressa refers. "
 331 Excipit has iterum ingeminans pars altera laudes,
 332 perstrepit et cunctis vox revoluta choris.
 333 Incipit inde alios producere terra favores,
 334 Zachariae genitus, vox, tuba, praeco, sonus,
 335 cum Petro et Stephano ducibusque in milibus amplis
 336 agminibus mixtis plausibus alta, canens :

337 "O virgo insignis, benedicta, ad gaudia nata,
338 auxilium terrae, fulgor honorque poli,
339 ecce tuus florens uterus quae praestitit orbi !
340 Te generante fide nos paradysus habet.
341 Quid sumus aut fuimus ? Quos merserat Eva profundo,
342 de limo in caelum nos ais ire sinu."
343 Laudibus his, Domini genetrix, fragor intonat astris
344 militiaeque poli haec tibi clangor agit.
345 Ast ego ferre volens videor subducere laudes.
346 Nam tibi quisque cupit voce favere sacrae.
347 Mens oret genitum, sic matri digna loquatur,
348 cujus amore pio vivis honore novo.
349 Pulchra super gemmas, splendorem solis obumbrans,
350 alta super sedes et super astra nitens,
351 vellere candidior niveo, rutilantior auro,
352 fulgidior radio, dulcior ore favo,
353 suavior et roseo nimium rubicundior ostro
354 vincis aromaticas mentis odore comas.
355 Cara, benigna, micans, pia, sancta, verenda, venusta,
356 flos, decus, ara, nitor, palma, corona, pudor,
357 per quam omnes fines terrae meruere salutem
358 gaudet et orbs totus, pontus, harena, polus :
359 haec tibi qui indignus quamvis corde, ore susurro,
360 spes mihi sis veniae, quae vehis orbis opem.